



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 218. Quandonam peccetur graviter contra famam vel honorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

cum intentione aut iudicio de submissione ab aliis exhibenda, quod innuit *S. Thomas a. 2. ad 1*, ubi ad 3. addit, honorem non deberi nisi ratione superioritatis, quæ non necessariò considerari debeat per comparisonem ad honorantem, sed saltem per comparisonem ad aliquos alios, quia in quolibet invenitur aliquid, ex quo potest alius eum Superiorem reputare, secundùm illud ad *Philip. 2. In humilitate Superiores invicem arbitrantes. 3. Excellentia*, id est, boni & perfectionis, propter quam, nisi aliquid aliud impediatur, fit dignus existimatione & significatione ejusdem existimationis, nam rectè notat *Lugo n. 4.* per illam testificationem, quæ est honor, debere intendi, non solùm significationem boni, sed etiam manifestationem internæ existimationis, quam quis saltem præsumitur habere de excellentia alterius. Dixi, *nisi aliquid aliud impediatur*, nam rectè notat *Less. n. 3.* dæmones & damnatos, licet habeant multas excellentias naturales, non esse honorandos, quia propter indurationem in malo & aversionem perpetuam à Fine ultimo reddiderunt se dignos omni ignominia. Ex his,

1193 *Colliges seqq. 1. Inhonoratio, est testificatio quædam mali seu imperfectionis in altero, cum significatione suæ malæ existimationis de illo. 2. Si honor sumatur, prout includit famam, eique superaddit testificationem, meritò dicit Less. n. 5. quòd honor fit majus bonum quàm fama: è contrà si fama sumatur prout contradistincta ab honore, Lugo n. 9. rectè dicit famam prævalere honori, quia melius est internè haberi pro bono, quàm externè tantùm dici bonum, & internè haberi pro malo.*

1194 *Q. 218. Quando nam peccetur graviter contra famam vel honorem. R. De hoc dari non potest regula una pro omni casu sufficiens, sed consideratis circumstantiis*

stantiis definiendum est prudentis iudicio, an læ-
sio habeat vim meritò graviter contristandi vel
dissolvendi amicitiam : præcipuæ autem circum-
stantiæ sunt, qualitas personæ, cui fit injuria, autho-
ritas vel conditio facientis injuriam ; itē bonus vel
malus affectus illius ; levitas aut gravitas materiæ
secundùm se, in qua fit injuria ; itē varia dispositio
audientium vel spectantium : ratio est, quia fama,
quam sequitur honor, consistit in existimatione
hominum, ergo qualis hîc & nunc communiter est
jactura existimationis hominum, talis erit injuria,
existimatio autem hominum est varia pro variis
ejusmodi circumstantiis, v. g. faciliùs erit injuria
gravis, si persona, de qua aliquid mali dicitur, sit
magnæ existimationis, tum quia uno defectu dete-
cto omnes virtutes & bona reliqua ipsius fiunt su-
specta vel revocantur in dubium, tum etiam quia
quantò major est fama, tantò cum majore labore &
difficultate est parata, hinc meritò graviùs fert ita
unâ vice tolli vel imminui. Item, si persona dicens
non soleat tale quid aut tali modo dicere, nisi cum
magno fundamento, jam est præsumptio major.
Item, si audientes sint tales, qui soleant omnia in
pejorem partem interpretari, & apud se plus con-
cipere, quàm re ipsa dicatur, jam plus nocetur,
quàm si diceretur apud alios &c. Ex his,

Colliges Seqq. 1. *Esph.* de just. q. 29. pro materia 1195
gravi minùs rectè hîc statuit peccatum mortale,
quod quis dicit vel objicit proximo, (& idem est
de judicio temerario) quia si de gregario milite
dicas habuisse duellum, fuisse ebrium &c. non sunt
injuriæ graves, quamvis sint de peccato mortali :
è contrà si de Religioso valde studioso perfectio-
nis dicas solere mentiri; de Episcopo esse spurium;
de peritissimo Medico esse ignorantem, sunt inju-

riæ graves, quamvis non sint mortalia, aut nequidem peccata. 2. Nec videtur sufficere regula, quam dat *Mol.* d. 16. n. 5. quòd illa sit materia gravis, pro qua alter mallet pati gravem læsionem in bonis fortunæ, nam homo nobilis sæpe mallet ferre jacturam ducati, quàm pati levem aliquam confusionem vel irrisionem, uti rectè *Lugo* d. 14. n. 24. & ideo ipsemet *Mol.* d. 26. n. 4. recurrit ad regulam à nobis datam. 3. Injuria in fama potest esse gravis in ratione damni circa alia bona, quamvis sit levis ratione infamationis, si nempe ex illa quantumvis de se levi oriatur grave damnum in bonis fortunæ, corporis vel animæ, & tum est mortale alterius speciei. 4. Licet levis sit injuria, si quis internè judicet aliquem esse, v.g. adulterum, quando probabilia sunt indicia pro eo, quòd sit, & etiam pro eo, quòd non sit adulter, uti dictum n. 1180. tamen gravis foret injuria, si alteri diceret esse adulterum: disparitatem dat *Lugo* n. 22. quia qui externè dicit, non significat suam formidinem, nec infirmitatem, quâ assentitur, quam tamen habet, qui tantum internè judicat, ergo detractio illa externa est magis contra jus, quàm assensus ille internus. Quòd si externè significaret illam formidinem internam, dicendo probabile est esse adulterum, per se loquendo, non esset detractio gravis, attamen secundum limitationem n. 1207. dandam.

2196 Q. 219. Quid præterea notandum sit circa detractio-
nem & injurias contra famam. R. Seqq. §. 1. Detractio
fieri potest verbis, signis, factis: fit autem præcipuè
his 8. modis, uti notat *Lugo* d. 14. n. 35. 1. Imponen-
do falsum. 2. Publicum augendo. 3. Occultum re-
velando. 4. Sinistrè interpretando bona 5. Negan-
do laudabiliter facta. 6. Imminuendo merita. 7. Si-
lendo, ubi silentiū æquivalet confessioni defectus
alieni.